


EXPECTATIO POLONIÆ

DIGNITAS TRABEATA

Illustrissimi & Excellentissimi

D-D. MICHAELIS

De C Z A C

CZACKI

CASTELLANI VOLHYNIÆ

Ad Solennem Ejus Metropolis, suæq simul Curulis ingressum; Publica omnium satisfa-ctione, applausu, Lætitiâ;

ABSOLUTA-


Ineunte Triumphorum Societatem obligato Mecænatis amplissimi gratiis, Collegio Luceoriensi Societatis

JESU.

Anno Expectatæ Salutis. 1740.

EXPECTATIO POLONIÆ
DIGNITAS TRABEATA
Illustrissimi & Excellentissimi
D. D. MICHAELIS
De C Z A C
CZACKI
CASTELLANI VOLHYNIÆ
Ad Solennem Ejus Metropolis, suæq́ simul Curulis ingressum; Publica omnium satisfactione, applausu, Lætitiâ;
ABSOLUTA.
Ineunte Triumphorum Societatem obligato Mecænatis amplissimi gratiis, Collegio Luceoriensi Societatis JESU.

Anno Expectatæ Salutis. 1740.



Caput Ille Senatus.

Vindex ille legũm fori ritusq; togæq; Corn. ſev.:

Vos ſuperos teſtor quantîs ſudaverit auſis

Hoc caput. Dares Phrygius.

Unum hoc pro cunctis ſat erit caput ſylvius

Capitiſq; manusq;

Antiqvum decus. Idem.

Ad ILLUSTRISSIMUM & EXCELLENTISSIMUM D. CASTELLANUM VOLHYNIÆ

AScendis Senator optatissime non magis SERENISSIMI REGIS gratiâ, quam votis omnium iam dudum tibi destinatam Curulim Volhyniæ; simulq́ te Duce, ingens triumphorum agmen animos universorum subintrat; ut non plùs præcelsâ hâc convocatæ Nobilitatis Coronâ, quam concurrentibûs undiq́ applausibûs, sinuq́; cordiũ amplissimô teneri videaris. Hinc, antequam

quam destinandos præsentî comitiorum votô legatos Varsaviam expedias; mittimus ad te legatos a latere a corde nostro plausus intimos, non aliîs, præterquam grandibûs gloriæ tuæ instructos punctîs. Mittimus legem gratiæ, non in tabulis (ut cum Paulo profanus Orator loquar.) lapideis, sed in cordibus nostris perenniter descriptam; quæ est: ut Te Mecænatē suū Gratiosimū ubiq votis per fastigia, per apices titulorum obligata JESU Societas comitetur, Regum etiam solio, suorum cordibûs (si posset) illatura. Mittimus tandem hac paginâ, justa pridem Domus Jllustrissimæ, Volhyniæ, ac Patriæ demum Universæ desideria,

qui-

quibûs adprima in Senatu Lechico faſtigia toties totiesq́ petebaris, quibûs expectatus tamdiu Pater Patriæ Sanctè declarabare, niſi vocem tam liberam, tamq́ bono communi ſalutarem, fortunæ licentia minus juſtè hactenus denegaſſet. Ex his Senator Jlluſtriſſime plane intelliges, quo te plauſu & Univerſorum lætitiâ, ſuum hodie Caſtellanum Volhyniâ ſalutet; quem dotes præcelſæ ſangvinisq́ emeriti dignitas talem fecere, qualis nec ſperari adpurpuras non potuit, nec illo melior non optari. Exilis quidem hæc pagina eſt, ſed magni in te affectus ac ſtudii interpres luculentus. Neq́ vero maior ſcribi potuit, cum ea quæ faſtis

notari

notari possunt integris, longe mn oi-ra iis sunt quæ in gratiam Patriæ Volhyniæ Tuorumq summe Mecænas fecisti. Ergo se ad merita tua tantopere non extendit oratio, ipsa duntaxat exilitate, summis te parem adoratura cum aliter te attollere Magne Senator pro dignitate non possit. Reliqua quae suppersunt (illa autem infinita sunt) Patriæ committit, haec grato in corde, merita conatusq gloriosos æternum exaret; Volhyniæ memoranda tradit, hæc sublimatam gentis suæ gloriam, tuis dotibus subscribat; Astris tandem pensanda consignat, hæc te virtutum numerosarum suffragiô per gradus honorum infinitos provectum, Cælo tandem licet serius ad moveant. Ita præ cæteris vovet.

MECÆNATIS
JLLUSTRISSIMI
gratioso Nomini

Obligatissimum Collegium
Luccoriense Societatis JESU.

QUem populi plauſu Procerum quem voce petebas
Patria cerne *virum, jam tempora deſine longæ*
Dinumerare viæ, viſoq; aſſurgere ſemper
Pulvere, non dubiis ultra torquebere votis
T*otus adeſt oculis, aderat qui mentibus olim.*
Spe major, fama melior; venerare curulem
Quæ Tibi reſtituit faſces, complectere dextram;
Sub juga quæ toties *hoſtes* Lechæa *redegit*
Excipe magnanimum pectus, quô fræna reguntur
Imperii, cujus libratur ſenſibûs orbis
Os quod pro *S*uperis, pro libertate locutum
Proq; tuis lucris toties audire placebat
Cerne libens, hic eſt venerandus Con*ſul in oſtro,*
Defenſor Patriæ Claudianus.

TUorumne potiùs magnitudini meritorum, an ſuſpirantis tãdiu Patriæ ingentibus deſideriis Te Senatore' fuerit ſatisfactum? Deus ponderet, cujus ſenſu ſortes & mometã Regnorũ conſtãt. Rex judicet,

cujus distributiva Justitia cōgruâ singulorum meritis præmia definit. Patriæ sensus concludat, cujus maxima felicitatis ratio in eo sita est, si summa summis ex merito & dignitate sorte disposita consentiant. Equidem si grandes curarum impensæ & millena fortunæ salutisq; Tuæ pro salute Civium dispendia, lanci se publicæ exponant; quam magna hæc sunt, tàm longè minus est, quidquid pro præmio,pro censu,pro stipendio Tuæ virtuti debetur. Fecisti CASTELLANE Illustrissime ex indole summorum capaci, & conatu erga commoda Patriæ saluberrimo, Divinam planè (utita dicam) Hypostasim, cujus actiones singulæ, sensus, respiria, motus deniq; minimi tam magni sunt, ut nil pretii æquale sibi de condigno admittant. Quanto magìs illud honoris trabeati, ingens quidem cæteris, Tuæ tamen summæ virtuti exile debitum, Quìd enim est curulis illa Volhyniæ subalterna? qui suprema in senatu Lechico subsellia merebare? quid illa purpuræ fila tuis pēsura áb humeris,à quibus toties salus publica depēdebat. Haberet sa-

nè quod

nè quod citra muricẽ erubeſceret oſtrum hoc, tamdiù Tuæ virtuti debitum, & tamdiù non citra Patriæ, ſalutiſq; publicæ diſpendia derogatum. Majora longè faſtigia occupant, qui Tuîs meritîs minora longè fecerunt. Declaratiq; pridem oraculorum capaces, qui vix balbutire tunc poterant, cum Tu pro commodo Civium, pro Legum integritate, pro gloria Gentis Noſtræ, in illa Quiritum Poloniæ Stuba, in publico Patriæ conſeſſu, multoties jam loquerere. Tu interim Senator ILLUSTRISSIME oſtro huic, pro innata Tibi modeſtia lacertos ſubmiſiſti. Illa fortè contentus ſorte, quæ eſt optimorum cordibus ingenita; mereri ſatiùs grandem inſignibûs rectefactîs gloriam quam habere. Et cum cæteri Titulos ceu juſta meritorum ſtipendia ſine meritis ambiunt, Tua virtus Tituli majoris loco, iſtud honos ſibi vendicat, quod parto duntaxat virtutibûs bono nomine glorioſus magis vivere contendas, quàm per Honorum faſtigia gloriam nominis attollere ſine virtutum fundamento & baſi. Ergo non Curulem iam

Volhyniæ, non trabeatum illud ſubſellium, communi plauſu oratio proſequi conſtituit; ne ſi hanc Purpuram conferat cum meritis, ipſe ſe murex imparem Tuis virtutibus erubeſcat. Sed id jam in præſentì declarabit, quod ſe jam dudum per corda per animos, per ora expectantium, Civium longiſſimè propagabat; & jam hodie in plauſus, in triumphos, in tripudia propè infinita deſiit, id eſt deſiderium illud antiquum & ingens, quo Te Domus Illuſtriſſima Polonæ purpuræ decus maximum poſt tot Majores purpuratos, Honor Volhyniæ trabeàtus, Provinciæ ſuæ gloriam, poſt tot Provincias & munera glorioſè abſoluta, Patria demū univerſa Patrem conſcriptum, poſt tot merita integrîs Poloniæ faſtìs conſcribenda tādiu! tamdiu! exoptabat. Quod ſi id minùs exequi poterit, concludes Senator gratioſiſſime, nec animum Oratori, nec Oratorem animo ſuoq; officio velle deeſſe, quo Te Tuamq; dignitatem tot titulîs, nominibûſq; obſtrictus, jure præ cæteris proſequi deberet, ſi poſſet. Sed illud videri univerſæ erga Te Pa-

triæ

triæ juſtum quidem, at nondum fortè æquale Tuæ virtuti pretium quod tam immenſum ſit, ut capi exili pagina non poſſit.

Non damnamus Fortunæ tarditatem, quôd ſuſpenſo interim pede, votis mortalium condeſcendit, ut expectantium tædia eo feliciùs eventu locupletet, quo ſe magis infauſtos per differentis abſentiam quærebantur. Utiq; & fontium dulcedo, majori delibantis ſenſu percipitur, quem diuturna olim ſitis exacuit. Eo carior gemma Oceano, quod eam à longe hoſpitem quia alto delapſam Cœlo conchæ expectent. Nec Cedrus eo Dodonæ eſſet in pretio, niſi eam ſæcula parturirent. Gratias proinde Superis cunctantibus immortales quod eo tædia ſuſpirantium provexerint, ut amplient gaudiorum magnitudinem, quibûs ſe auget pectus illud Patriæ auguſtum, Te corde Libertatis Polonæ intra viſcera Senatus Lechici licet ſeriûs admiſſo. Amamus illos gemitus, quibus tamdiu Domus Illuſtriſſimæ pupillam immergi placuit, donec Tu gemma ad coronam Procerum emergeres.

 Sed

Sed proh! quantum ſuſpirii, votorumq; impenſum eſt, ut Te gloriam Senatus Lechici lucrari ſuo honori licuiſſet. Quot votîs, quot clamoribùs generis præcelſi intimis ad trabeas tamdiu petebare! Sequere (auditum non ſemel) præivimus Avi, Proavi, majorumq; agmen inſigne, aditum fecimus meritis, viam trivimus exemplis. Sequere! gloria Patris præceſſit ad titulos, majorem Poloniã quaſi ſuis meritis eſſet minor exceſſit, minorem grandibus ampliavit rectefactis, quorum ſuffragio maximus in Senatu Lechico Conſus evaſiſſes ſi velles. Sequere! Genitor tinxit Purpuram ſanguine, paravit Curulem ferro bellico, Ipſemet inter Quirites Lechiæ certo ſeſſurus, niſi occumbere prius fatis jubentibus côáctus Tibi glorioſe Fili, Patris Patriæ merita unà cum titulo cederet Compenſet itaq; fortuna in Nato, quid, quid in Parente minus juſtè negaverat. Sequere (adhuc intonat Mater de ZAHOROWSCIIS Caſtellanis Volhyniæ Illuſtriſſima) & ſanguinis quem traxiſti jure utere. Nefas inſigne eſt, ſi partam

vir-

virtutibus Avi gloriám unà cum titulis amittas inglorius, nil in Te præter ſanguinem relicturus. Majorem illum quidem Tuum fàteris & prædicas, ſed ille Te minorem ſe ipſo habere renuit; cùm ſummis etiam par eſſe merito & dignitate poſſis.

Hæc dum Majorum Tuornm Vota tacita auſcultat ſvada, adhuc ſe de medio marmore gratilis quidam clamor proripit & ingentis deſiderii vocem depromit. Caſtellano me Patre genitam non ignoro, ſed amor titulum unà cum nomine mutavit, quod ut conſtanter ferrem, ipſa meæ virtutis Nominiſq; Conſtantia imperavit. Caſtellanam me Volhyniæ Tuis meritis victuram ſperavi, quæ Caſtellanis vivere incæpi; ſed ne Talis viverem, viventis per ſæcula Alta Poteſtas prohibuit. O quæ! non gaudia ſpirarem! ſi ſuperſtes gaudere munere hoc poſſem, particepſq; trabeati honoris fieri, quæ amoris Comes individuus, & vitæ ſocialis ſemper eram. Ergo ſi cæli ſuperſtiti recuſant, mortuæ ſaltem ſepulchri titulum non denegent. Mortu-

am ne Castellanam prædicent, si vivam hoc titulo nuncupari non licuit. Non parva pars etiam in Cœlis gloriæ erit, eminere tam insigni Purpura gloriosam. Aut si solo sanctæ vocabulo honoreq; contenta vivere jubeor, contenta vivo, si saltem relicta amoris sanguinisq; Nostri Pignora unà cum sanguine muricem derivent. Non putent Matris titulos, cum nomine simul desinere in Parentem; etiam sanguine Paterno progeniti, noverint se esse, qui sunt, ingentium scilicet nominum Hæredes & honorum. Hæc vox dum Cœlo insonuit, non dubito quin Snperum benignitatem statim in vota inflexerat, cujus superstitis adhuc condita gratiis humanitas, aspera etiam saxa emolliret in favores.

Et hæc sunt sincera citra fictionem Rhetoricam Domus Illustrissimæ desideria, ex quibus Senator Magne iam collige, an non juste, qua generis præcelsi, qua meritorum privilegio quæri possent nimiam erga Te honoris tarditatem. Quid si fæderata sanguini Tuo nomina in votorum Societatem evocem? O quantũ!

credo

credo Serenissimum LESZCZYNIORUM Caput hactenus sudabat, ut Tu in prima Capitolii Sarmatici fronte eminuisses ad gloriam! Quantum Gentilitia SZOŁDRSCIORUM oneraria Suspiriis, fluctibusq; tædiorum jactabatur, antequam vellus illud trabeatum, ceu fortuna Regni Sarmatici Tuis meritis deferretur! Ipsa gentilitia POCIEIORUM atq; LUBOMIRSCIORUM flumina quæ in Tui sanguinis archipelagum pleno descendunt alveo, quam alto ferebatur votorum impetu! ut Te in portum trabeati honoris deponerent. Jam si altius ferro ZAMOYSCIANI Pectoris intima scrutari liceat. O! quantis illud lancinabatur honoris Tui tædiis, quod non semel Tuæ dignitatis magnitudo grandi admiratione defixerat, dubium sane repetitum videbatur, an SARII ILLUSTRISSIMI viscera, hastarum ternio hostilium, an inimicæ tamdiu fortunæ, licet Tuæ Domui tam vicinæ, multiplex inclementia atrocius vulneraret? Quid si Conjuncta Domui Tuæ CZAPSCIORUM, WOŁOWICCIORUM, MI-

CIELSCIORUM, KOZMINSCIORUM, MODLIBOWSCIORUM, GAIEWSCIORUM & millena alia nomina recenseam? Quorum Tu unitis cordibus, ceu præcipua generis præclari Portio ceu ſanguinis magni pars primigenia ad purpuras, Tituloſq; inſignes ferebare; Illorum utiq; honor, Honor Tuus eſt unaq; cum ſanguine totum deſcendit in ceteros, quidquid gloriæ in Te redundat ex meritis.

Sed jam Gentilitiam Volhyniæ Aquilam ſpectare liceat, & quam magnis ſupra cæteros ferretur deſideriis intueri, ut Te aliquando primæ magnitudinis in Cælo Polono ſydus aſpiceret. Non una credo præter avitam Crucem, Crux pectori dolentis inhæſerat, quæ ut intuentium animos Tuorum meritorum admiratione defixit, ſic expectantium vota, quibus Te ad primos Volhyniæ faſces anhelabant, tamdiu tamq; crudeliter ſuſpendens cruciabat. Augebant doloris magnitudinem Gentilitiis Crucibus Celſiſſima WISZNIOWIECCIORUM, POTOCCIORUM, LEDOCHO-

CHOWSCIORUM, OLSZANSCIORUM Tuo ſanguini Nomina conjurata, Ibat in ſocietatem juſti doloris Illuſtriſſima WIELHORSCIORUM, OZGARUM, OLIZARORUM Domus, imo tota Volhynia quæ Domus Tua eſt, & pars generis magni non parva, tota in tædia & immenſos anhelitus ſolvebatur, reſpiratura dulcius, ſi optimorum votis ſors peſſima melius aſpiraret. Imprimebat inſuper tot inter Cruces profundam grato pectori cicatricem, alta meritorum Tuorum memoria, quibus præ cæteris Tuam Volhyniam jam Legatus ad Publica Regni comitia, toties totìeſq; repetitus, jam fæderatarum copiarum Ductor bellicoſiſſimus, non citra vitæ, fortunæq; propriæ diſpendia cumulaſti. Agmen illa iterum bellicum Tuo pro honore fæderata libens cogeret, tantum Tibi adverſæ ſortis expugnatura inclementiam, quantum Tu olim ab illius limitìbus hoſtium ſævitiem propulſaſti.

At Tantumne? uniusVolhyniæ Domuſq; præcelſæ liminibus, tædiorum magnitudo tenebatur? Serpebat illa per a-

nimos Civium, per totius Patriæ præcordia, ut dubium ſanè fuerit, pluſnè illa in te votis, quam Tu in eam meritis contenderes. Latere quidem non poterat oculos intuentis, grandis illa majorq; ferè humanis viribus contentio qua nuper campum Martium, libertatis ſtrenuus defenſor decurrebas, ſequebaris hoſtem perfidum, fidem erga Patriam fuſo etiam ſanguine teſtaturus. Hinc quantum invidebat cæcos in ſe hoſtium furores, tantum Te ſuæ pupillæ cuſtodem indefeſſum, videre in ſummo honoris Lechici gradu exoptabat. Interim qui contractos æſtu bellico ſudores purpura detergeret, forte deerat; majoriſq; piaculi loco ducebatur, quod pro magnæ virtutis monumento præmiiq; inſignis merito æquius haberetur, Non fregit tamen conſtantem animum adverſus licet Tuorum rectefactorum ſpectator, magiſq; livor animabat ad optima ut fere cum hoſtium odiis erga Patriam, Tuus amor contendere videretur, nunquam niſi fortè cum ſanguine & vita extingvendus. Ergo poſtquam Janus Le-

chicus

chicus in pacis auſpicium poſtes cruentos obſeravit, iterum ſe Tuæ virtuti nova recludit acies, ut cum iam in ſago non poſſes, Togatus Patriam tuereris, manu a ferro remota, capite libertatem, defenſurus. At mihi quidem videtur major illa merendi ſors, quæ ſe citra Patriæ pericula, Patriæ impendit, quàm quæ illius felicitatem, per clades internas & domeſtica auget diſpendia. Grāde equidem illud amoris documentum eſt pro ſanguine & vita Civium, ſanguinem, & vitam profudiſſe; darinè tamen poteſt citra evidens gentis defenſæ periculum? ubi miles, milite, ceu vitrum, vitro, mutua ab utrinq; clade frangitur; ubi ipſe armorum motus Patriam fatigat, ipſa hoſtium fuga lædit præcordia, more veneni quodſi violente eijcis, viſcernm torturam ingentem ſentis. Ubi mille diſcriminum timores, tituli rapinarum infiniti, luxus bellorum immenſi jure neceſſitatis colorati. Illam deniq; in bellis regulam bellicæ providentiæ puto difficillimam, quæ eſt: ut cum Patriæ tyrannos longius propellis, ipſe ne ſis

Nero Tuæ Patriæ cautum velis. Longe id quidem à Tua abfuit modeſtia, cujus glorioſo pectori, defendendæ potius fortunæ publicæ, quàm abſumendæ cura laborq; præcipuus jam dudum inſederat; Ne tamen etiam periculum de Te timendi Patriæ feciſſes; quod omni metu poſthabito paſſim bellicæ licentiæ uſuvenit; oſtendiſti facile, æquè Te Marte ac Tullio gloriam Gentis Polonæ defendi poſſe, idemq; eſſe: dicere Te; pro Patriis legibus fortiter, & pugnare, tam ingens Tuo ſermoni facultas roburq: dicendi inerat. O! quantum ſe Beatam jam Te Conſule Romam ſenſit Lechia! quantum ſurgebant ſpes publicæ, cum Tu inter Quirites Patriæ Conſo vel Catone Major aſſurgeres, pro legum integritate, pro ſalute communi, in publico illo Conſiliorum theatro certaturus. Nullum interea orator manſvetiſſime animi vehementis indicium, qui ſe paſſim Zeli majoris jactat titulo oſtendiſti, nullo inconditi clamoris ſtrepitu, qui ſe liberæ vocis nomine tuetur dicendi amænitatem perturbaſti, ſed pro innata mo-

deſtia

deſſia, agendiq́; prudenti conſvetudine, inanem verborum contentionem ſolida ratione abſolvebas; facilè oſtenſurus: juſtum Civis optimi Zelum in dicendi robore; non in animi impotentis contentione ſitum eſſe. Hic jam Majeſtas laudare ſenſùs æquitatem, Senatus dicendi felicitatem mirari, Patriæ Conſi uno ore, conſenſu, approbatione fidem; Zelum, gratiamq́; dicendi vix hominibus conceſſam attollere. Sed quot Tibi curas laboreſq́; prope infinitos, quot virtutis deniq; pericula, ipſamet virtutis Tuæ peperit commendatio! Divellebaris legatorum conſtantiſſime omnes in partes, alii Te in ſua commoda, alii trahebant in alia, optime utrinq́; ſuis ſpebus votiſq́; proviſuri, quia optimè de Te perſvaſi, omnes de Te ſolliciti, quia omnes Tuæ virtutis ſimul amore, ſimul metu capti juſtè timere poterant, ne ſi ab eorum voluntate & votis ſenſu & ratione longiùs diſceſſiſſes, hoc ipſum Patria in fraudis cujuſpiam ſuſpicionem non injuſtam verteret, cum communis de Te univerſorum ſenſus illeq́; perpe-

tuus ſit, quod ut chryſolitus auro, ſic bono Patriæ Legatorum æſtimatiſſime toto ſenſu & corde adhæreas; nihilq; de Tuæ mentis oraculo auditum ſit, quod non cunctis optimum videatur. Meminimus Senator Illuſtriſſime cum exſpirante jam jam AUGUSTI SECUNDI Imperio adhuc Respublica palpitaret, ſenſumq; dicendo Te Legato in ultimo illo conſiliorum exitu depromeret, quem agonem, quam luctam, virtus Tuæ mentis invicta tolerabat! Jam Te teſtatîs officiîs, jam ſpecioſîs munerum promiſsîs inſolens ambitus titulorum incitabat, ut à promiſſa Patriæ fide diſcederes, Te uno die integros fatigare! aditum illecebrîs quærere! noctes etiam turbabat inquietus honoris amor Illuſtriſſimis Titulis quibus Te circumvallabat eaſdem accenſurus, ſi Tua virtus permitteret. O quot tunc poteras, uno a legibus gradu poſito Nomini Tuo Titulorum comparare! Sed Tu qui maximi proventûs loco virtutem æſtimas, maluiſti debiti aliàs Tuis meritis ſtipendii ſpem totam perdere, quam per

Patriæ

Patriæ legumq; diſpendia. honorum lucra conquirere.

Hæc cæteraq; Tuæ virtutis, dotumq; præcelſarum miracula non poterant Civium memoriam fugere, quæ omnium oculis auribuſq, tenebantur. Ferebaris paſſim communi præconio per aures, per corda populorum, defenſor libertatis invictus, Cuſtos Patriarum legum integerrìmus, adeo, ut ſi tam deſes Nominis Tui gloria foret, ne te ad nos hactenus deferret, tarditatem illius, virtutis Tuæ magnitudo, compenſaret; noſſeq; Te CZACCIUM ex ingentibus factis omnis deberet, qui de publica ſalute optimè audire aliquid vellet. Sed hæc erant majora irritamenta gratæ ſemper Tuis laboribus Patriæ, innumera virium Tuarum diſpendia, ſpectare ſine lucro, labores ſine præmio, ſudores æſtuſq; graviſſimos, ſine trabeæ protegentis refrigerio. Non unius credo animum defixit, lenta hæc nimiùm proni aliàs ad præmia Cœli æquitas, quæ Tibi ìn votis in animis omnium parabat cumulos honorum infinitos. Hinc pleriq; domeſti-

cis ſuorum vitiis, Numinis irati ſeveritatem, tribuebant; quæ ſublatô in pænam non uno Patriæ viro & bellatore, majori longè eandem ſupplicio affeciſſet, dum Te illi Patrem tamdiu negaſſet. Alii inſolitum aliquid Numen portendere autumabant, & cui ſolio parem imperiis animam, magnì muneris locô donaſſet, longiùs cogitare, Alii ſuſpenſa Civium vota ſuperûm beneficio imputabant, ut longioris tædii magnitudine proſtrata, Tê ad Curules ſublatô, ipſa pariter in gaudia altiùs aſſurgerent. Adjecta nonnullorum, Eorumq; paucorum ſuſpicio, quæ Te honoris ILLUSTRISSIMI minus capacem ſenſit, quod jam ſolem videre non poſſis. Sed quam cæca hæc ratio fuerit? clarum eſt, Quod enim fatum Tibi lucem oculorum ademerat? ſi non illæ vigilantis curæ, quibûs aſſiduus incubabas, ut Patriæ bono proſpiceres. Quæ inquam fatorum inclementia lucem Tibi oculorum ademiſſet? niſi vehemens ille ſapientiæ amor, fatum Tibi tam atrox eſſet? quo impulſus, noctes dieſq; luſtrandis codi-

cibus

cibus impendisti. Illi itaq; lucis publicæ minùs se capaces, rectiùs timeant, qui nusquam felicitatem Reipublicæ æquô oculo fronteq; tolerant, qui impendentibus à longe Patriæ periculis, prospicere aut negligunt aut non possunt, cæci ipsimet ducesq; cæcorum. At ego credo Patriam malle suos oculis, quàm mente cæterisq; optimi civis præsidiis destitutos. Amat itaq; Respublica, amat Majestas Tuos oculos Senator ILLUSTRISSIME, qui etiam amissi, longiùs commune bonum malumq; vident, quàm mille aliorum suis commodis unicè servati; gaudetq; illam lucis nativæ carentiam cæterorum luminibus esse potiorem, qui se Argos persæpe centoculos jactant, & non sunt. At verò si plorare jacturam hanc Tuam, simulq; suam vellet, statim illi os Tuum grandis illa oraculorum Regia ex ipso sermonis flore, ex mira dicendorum varietate, ex incredibili relectorum memoria, ostetat, quam benè, quam providè lucem oculorum dispensasti, quæ se totam prælo noctes, diesquè im-

pressit, ut Te totum grandem Bibliothecam efficeret, exemplar quoddam doctioris sæculi Orbi Polono proponeret, ex cujus capite legat unusquisq; Senator, Senatoris, Civis, Civis optimi leges & munera, omnibus titulis sanctè & sapienter absoluta. Unde universi discant quàm doctùm, quàm scientiis insignem Virum esse oporteat, qui ad Consulis emeriti munus aspirat. Sed jamne? cum Luce oculorum, omnis in Te scientiarum ardor extinctus? fervet hic etiam mediis in tenebris nullâ fatorum umbrâ supprimendus! Hinc est, quod cum jam Te legendi potestas deficeret, ut asvetis codicibus animi tædia recreares, oculos mendicabas à cæteris, quorum officiô gloriosæ sciendi consvetudini subvenisti ut quidquid illi relegerent Tu menti fortiter imprime res, indelebile hoc de Tua virtute posteritati relicturus: Præcelsis mentibus etiam casus servire ad sublimia, nullumq; malorum genus esse, quo non uti optimè possent, si velint. Sed heu! quæ gaudia quos plausus,

afflictæ

afflictæ aliàs Tua calamitate Patriæ, attulit hæc felix inter adversa Tui animi Constantia! Sors credo Gentis Nostræ publica, hasce sibi pupillas vendicasset, ne cæca posthac fieret, aut certe nomen suum Tibi cederet, ut Tu posthac fortuna Patriæ dicereris. Delibasset illas mille basiîs sapientia, aut felle ceu Tobiæ oculos linisset, si amarorem quempiam erga Te in corde sentire posset.

Ergo jam ad summa quà Reipublicæ, quà Volhyniæ, quà Domus ILLUSTRISSIMÆ desideria, minimæ etiam Societatis JESU Senator amplissime admittes vota. O! quantis Te illa tædiis Patrē Patriæ suspirabat!, quē Patris, Matrisq; loco toties experta! Quantis ferebatur desideriis! ut Tu super apicem super fastigia Lechici Senatus efferri posses, qui magnitudine beneficiorum, & merita Nostrum omnium excedis & Vota. Ipse credo Dux Ignatius resumptîs iterum armîs, titulorum castra subigeret, si Tuæ dignitati refragari vellent; classicum illud Majoris Dei gloriæ

ingens horum agmen ſub Tua vocaturus ſigna, innovaret; qui in minimis ejuſdem Sociis maximum Superûm cultum Fundator ampliſſimus propagabas. Jam Franciſcus Regis, cujus honori Poricienſem Baſilicam à primo erigis lapide, Ipſe pariter Tuæ gloriæ faber eſſe vellet, atq; jam depoſitîs unà cum vita vitæ Apoſtolicæ laboribûs, adhuc Tui Nominis Apoſtolum agere contenderet, aſſumptîſq; meritorum Tuorum pro Evangelio faſtîs, Te more ſuo per Aras, per honoris templa, quibus Te Patriæ Numen, adorandum Civibus proponeret, circumferre. Pedem illum aſperîs montium ſemitîs fractum, quô firmius in ipſo honorum vertice conſiſteres, Tibi cederet; plantam pro baſi ſubmitteret, quæ Domus præceſſæ gloriam, ad prima dignitatum faſtigia ita proveheret, ut Tu ſupremus ejuſdem ſpecteris apex. Ipſum deniq; poſitum ſuo Nomini à Te Auguſtal libens cederet, modo in Templum Tui honoris converti poſſit. Sed quid ego inanî verborum officiô, & merîs affectum figurîs in Te contendo,

cui

cui longè magis amores noſtri deben-
tur, quàm ingenia? Cum fictis ficte a-
gendum, illiſq; mutuo ipſa officiorum
ſpecies præſentanda, qui ſolis nobiſcum
duntaxat officiis conveniunt, verborum
magis prodigi, quàm operum. Tu Se-
nator ILLUSTRISSIME licet eâ pru-
dentiæ regulâ cautus ſuperum dono vi-
dearis, qua & ſinceri animi documenta, à
mentiti affectus ſuperficie longius digno-
ſcere, & larvata illa officiorum monſtra
paribûs officiîs ſapienter protrudere non
ignores; quod tamen hac lege nondum
erga nos uſus fueris, teſtantur innatus
Tibi unaquè cum lacte Matris ILLU-
STRISSIMÆ candor animi erga nos
inditus, pectus ſingulis expanſum, & ſi-
nus gratiarum ampliſſimus, conſvetudo
perpetua, qua nos, in dies ſingulos, in
horas, momenta, non citra cæterorum
invidiam, Zelum, æmulationem digna-
ris. Ergo illos affectuum circuitus,
ambageſq; verborum ingenioſas deſerit
jam oratio, ipſa ruditate ſtyli ſuam Tbi
ſimplicitatem, candoremq; grati animi
ingenuè teſtatura: Poſcebamus grandibûs

ſuſpiriis Fundator ILLUSTRISSIME ut Te Numinis benignitas, non jam trabeis aliquando redderet, (hoc enim nec dubitare poterat ſpes noſtra ſimul Tuis meritis, ſimul innatæ Regibus æquitati, ſimul ſuperum Providentiæ, quæ fruſtrari benemerentium actus, ſuis præmiîs non permittit, confiſa) ſed ut id, quod jam dudum & voluntate ſua & votîs omnium juſtè decretum eſt, juſtius adhuc acceleret Fatigabamus itaq; aras precibus vota votis cumulata nullâ morâ, nullô quietis interjectô ſpatiô mittebamus ad Superos; adeo: ut quod multos Volhyniæ Caſtellanos Illuſtriſſimos, brevî temporis intervallô Cælorum faſtigio recæptos numeramus; id plane ideo Numinis Poteſtas facere viſa, ut Tê faſcibus Volhyniæ per cæterorum etiam funera ocyus admotò, illâ ſe tandem curâ abſolveret, quam illi juges poſtulantium querelæ, & repetita toties ſingulorum ſuſpiria faciebant. Nec vero noſtræ tantum gratitudini, quantum Tuis potiùs favoribus ille debetur fervor maximus, qui ſe minimorum Cor-

dibûs

dibûs in immensum fere ampliavit. Inhærebat enim altiùs singulorum memoriæ, declamata nobis tamdiu beneficiorum multitudo, quâ nos Genitores Avi Majoresq; Tui ILLUSTRISSIMI supra spem, supra numerum, auxerunt. Occurrebat rursus animo, quæ se passim omnium oculis nunc ingerit, tot tantisq; gratiis cumulata in nos Tua humanitas, quæ feris etiam non dubito gratioris animi sensum ingereret. Adjecit postulantibus animum, grandis illa futuræ securitatis fiducia, qua nos Te Senatore, Te conscripto Patre Patriæ simulq; nostro, Aulam Quiritum trabeatam, Capitolium illud Lechiæ intraturos nullo obice autumabamur; multaq; inibi pro nostra indemnitate, pro cultûs Divini incremento, Te Oratore dicturi; multa Te Patrono, Te vindice, Te Authore nostræ fortunæ effecturi. O! quantîs singulorū pectora desideriîs tam multiplex tamq; sancta cogitatio impleverat!

Hæc dum exaro atq; obligatæ Societatis coram Te Illustrissime Domine cor effundo, succenseri mihi tacitè videor

 quôd

quòd, cùm cæteræ etiam Religiones ſummis favoribus obſtrictæ, Te Senatore exultaturæ plurimùm ſperentur; Unius tamen Societatis erga Te animum, propriis votis affectatus nimium aſſentator exaggerem. Fateor Illuſtriſſime Caſtellane Numen Te quoddam, omnibus benefico influxu propitium. Fateor parem ſolibûs animi Tui magnitudinem eam eſſe, ut uno ambitu teneri non poſſit, ſed in plurimorum commoda Divino plane munere ſe diſpenſet. Sole hæc clarius relucent, tot per templa, aras, Sanctuaria, relicta Tuæ munificentiæ monumenta; quæ Te per faſtigia titulorum ceu per gradus quoſdam cœlo tandem, utinam ſeriùs! inferent. Ea interim beneficiorum Tuorum magnitudo erga nos eſt, ut ſe per Aras Domoſq; noſtras ampliando, etiam per corda Filiorum Ignatii propagaverit, & adhuc reſtat quod memoret, quod grata adoret Societas. Eliſit itaq; omnium quanta quanta ſunt aliorum beneficiorum memoriam, grandis illa Tui in nos animi vaſtitas, nec locum aut tempus cætera reminiſcendi

ſcendi conceſſit; cum ea quæ nobis duntaxat Fundator Munificentiſſime contuleras, tam ampla, tamq; magnifica ſunt, ut vix omnium poſſint memoriâ, gratoq; pectore comprehendi. Ergo quærimoniis ſuis ſi quæ ſunt, finem imponant, & noſtris deſideriis non obſiſtant. Ampliabuntur hæc in animis noſtrum omnium, donec Te honoris gloriæq; magnitudine, ſpes votaq; univerſorum longiſſime prætergreſſum non gaudebunt. Sepulchrum quidem Tuis majoribus, inquilinum Tibi etiã ſera poſt fata non negamus; Vives tamen noſtris amoribus etiam inter cineres, nullum in corde Ignatii grato ſepulchrum habiturus, præterquam grande immortalis memoriæ monumentum, quæ gratias Tuas tamdiu fovebit, donec ſe cælo inferent, ampliſſimîs ſuperum muneribûs cumulandæ,

Ex his itaq; cæteris votis ſingulorum & ſtudiis, quibus Domus Illuſtriſſima, Volhynia, Patria univerſa, minima tandem JESU Societas in Te contendebat. triumphorum immenſitatem collige Ca-

ſtellane Illuſtriſſime, & ut ex gutta Oceanum, ex atomo Pelium, ex ſcintilla flammam, ſic ex deſideriorum quæ tamdiu tenebantur magnitudine vim erumpentium ſimul gaudiorum metire infinitam. O ſi Domûs præcelſæ penetralia, Volhyniæ intima, exultantis Poloniæ viſcera, cor tandem illud igneum applaudentis Ignatii ſcrutari licuiſſet! vidiſſes Senator optatiſſime quanto ſe agmine, concurſu, caſtrîs plauſum infinitîs, ubiq; evolvunt ſolatia, Aper credo Gentilitius qui rugas bellicas, tamdiu alebat fronte, frontem in gaudia explicat, depoſitaq; feritate, caput, licet ſero humanæ in Tua merita inclinat fortunæ. Materna ZAHOROWSCIORUM flumina o! quā multiplici alveo redundant in gaudia! quod poſt tot ſudorū procellas, poſt effuſi pro Libertate ſangvinis profluvia, repereris tandem! tandem! portum in ſinu trabeati honoris optábilem. Venator Volhyniæ ILLUSTRISSIMUS & Frater tuus, non ipſo duntaxat Generis clariſſimi ſplendore, ſed ingenti etiā meritorum quibus Patriam illuſtravit, luce, ceu ſuo Caſtori

Pollux

Pollux tibi conjunctissimus, quod non serenum Animi sui Cælô circumfert! te inter trabeata Poloniæ Sydera refulgente. Adorat jam sui muneris Fortunam, quæ feris in te honoribus Patriæ titulisq; tamdiu casses tetenderat, donec Tibi veriori Timotheo, Vellus id Volhyniæ Trabeatum! prædæ locò insignis detulisset. Colligata Domui ILLUSTRISSIMÆ Nomina, intima animorum Conjunctione, gratias Majestati exsoluunt infinitas, cujus Clementia emeritum ostrô revinxit humerum, ut secuturis Patriæ Commodis obligaret. Universa Volhynia, quæ fere integra sangvis Tuus est & Domus Præcelsæ pars quædam, integra assurgit in plausus, te sedere post tot labores, suas inter Curules jussô. Jam Patriæ illud Augustum pectus introspicere si liceat? O! quanta se majestate ampliat gaudiorum immensitas! quam vasto sinu, per famæ triumphantis labium, per aures exultantium Civium ubiq propagaris! Illi gratæ superis Patriæ mu-

nus interim obeunt, atq; Cælorum benignitatem demissa fronte proni adorant, quod te Caput Consiliis Saluberrimum, in prima Patriæ fronte posuerit; Alii Reipublicæ felicitatem Communibus præconiis attollere & quæ salus Civium, quæ libertatis Polonæ securitas, Te Quirite, Te Conso Patriæ futura sit? indubiè autumare. Aliis jam inter tabellas Patriæ publicas, ceu rumor orbi Polono gratissimus, ceu notitia Universis maximè proficua, Castellanus Volhyniæ legendus occurris; hìc paginam avidè universi obtutibus objicere, & quod dudum animo suspiranti inhæserat, sæpius oculis circumferre, nomen ILLUSTRISSIMUM cum plausu toties recitare, ori reverenter admovere, salutare inter trabeas osculis honorificis. Sic tandem tot inter officia & ingentis lætitiæ apparatus, ab oculis ad os, ab ore ad Cor singulorum devolveris, non plus in curulibus quam in præcordiis singulorum consessurus. His ubi minima JE-

SU

SU Societas ad triumphorum Conſortium accedit, magnitudinem gaudiorum intra grati pectoris fibras non patitur, Cælo illa Propitio devotiſſimè tranſmittit, quod ſe poſt tot ſuſpiria preceſq; infinitas auditam fecerit, Te inter Quirites Poloniæ ſolenniter tandem declamatô.

Sed quid ego iſtam gaudiorum immenſitatem nimis amplio? Minora hæc longè forent, Te ad hocce duntaxat trabeati honoris faſtigium receptô quem ingentia merita, Nominiſq; præcelſi magnitudo, ſummis etiam apicibus parem fecere; niſi primus ille trabeati honoris gradus, cui inſiſtis, tam felix tamq; beatus in Cordibus noſtris videretur, qui Te meritorum Tuorum ſuffragiô, ad ſuprema in Senatu Lechico efferet faſtigia. Ibis itaq; Senator Illuſtriſſime ex hoc dignitatis ſublimi in aliud, procedes à titulis ad titulos, à Curulibus ad Curules, tam felicî tamq; gloriosô veſtigiô, uſq; dum eo perveneris, ut omni-

um ſpes & vota honoris magnitudine longiſſimè prætergreſſus, nihil ſupra Te videas, præterquam Cælum, quo Te Tua virtus pietaſq; in Patriam, poſt tot emenſa titulorum faſtigia licet ſeriùs admovebit.